

religione & fide Christiana, ipsa deformatur ecclesia. Insurrexerunt, & pullulant in diuersis regionibus horrenda hæreses à tempore huius perniciosissimi schismatis, & nisi eidem ecclesie de unico summo pastore & indubitato CHRISTI uicario prouideatur celeriter, per cuius prouidentiam cum dei auxilio præfatis occurratur periculis, & tam grauibus uniuersalis ecclesie morbis competens adhibeatur medela, pertimescendum est, ne labatur, prout iam sæpe lapsus est omnis decor eius, deturq; uniuersis gentibus in contemptum, & status eius sit, ut iam esse incepit, in opprobrium & conculcationem, ex quibus ecclesia dei & fidelis populus Christianus graue scandalum patiuntur. Et quòd licet dominus Benedictus papa decimus tertius à uigintiduoibus annis citra sic in sua obedientia nuncupatus, præ cæteris istud schisma, quod ante eiusdem domini Benedicti electionem iam sedecim annis ipso existente cardinali durauerat, totis uiribus tollere etiam usque ad exponendum animam pro grege dominico teneretur, & teneatur, licet etiam eidem Benedicto ecclesie prædictæ calamitates, scissuræ & alia pericula & scandala præmissa incognita non fuerint, nec sint, sed eidem & toti populo Christiano notoria, ipsiq; prædictis calamitatibus & scissuris, periculis & scandalis obuiare, ac totum prædictum schisma tollere potuerit, & adhuc posset, attento maxime quòd Ioannes papa uicesimus tertius sic in sua obedientia nuncupatus, à suo papatu tam per illius canonicam electionem, quàm per suam renunciationem amotus sit: & Gregorius duodecimus, sic in sua obedientia nuncupatus, sponte renunciauerit, solo ipso Benedicto pro papa postmodum se gerente, super quem & in quo principaliter totum pondus dicti pestiferi schismatis & facultas • illi subueniendi, & à quo præmissa omnia mala & pericula prouenerunt, & perdurant, constat & consistit adhuc: licet insuper idem dominus Benedictus existens cardinalis, ante ipsius electionem, ad tollendum dictum schisma uiam renunciationis mutæ contententium de papatu laudauerit, approbauerit, & dixerit esse utiliozem & faciliorem, & iurauerit solenniter cum alijs cardinalibus ipsius obedientiam imminente electione summi pontificis Romanani, in sua obedientia per eos fienda, quòd si ipsum in papam cõtingeret assumi, prout fuit assumptus, ipse unionem ecclesie sine excusatione, dilatione & machinatione quibuscunq; diligenter prosequeretur per omnes uias accommodas, etiam usque ad cessionem papatus inclusue, si præfatis cardinalibus qui tunc erant, uel eorum maiori parti uideretur expedire, ipsiq; in papam assumptus idem iurauerat, & postea dictis cardinalibus uel eorum maiori parti, imò omnibus præter unum, uisum fuit expedire, quòd ipse unionem ecclesie prosequeretur per uiam mutæ cessionis, & quòd illam offerret. Et hoc idem eidem Benedicto per eos in papam assumptum, extitit postmodum declaratum, & dicta purificata conditio. Fuitq; deinde ex parte charissimi ecclesie filij Caroli Francorum regis per suos solennes legatos, claræ memoriæ duces Bituricenses Burgundiæ patruos, & Aurelianensem fratrem dicti regis, & alios plures ad eum propter hoc destinatos, necnon zelatores pacis ecclesie cardinales præfati Benedicti in sua obedientia nominati, & postmodum ex parte dicti regis Francie, necnon charissimorum ecclesie filiorum Angliæ & Castellæ regum, per suos solennes ambasiatores, & deinde specialiter & singulariter ex parte eiusdem ecclesie filij charissimi Vencelai Bohemiæ &c. tunc Romanorum regis, & consequenter per alios plures cum magna deuotione & humilitate supplicatum, & etiam in uim præfati iuramenti per eum requisitus, quatenus uellet prosequi unionem ecclesie per uiam mutæ cessionis suæ & alterius contententis cum eo de papatu, apud quæ similiter prosequi habebant in mandatis, & intēdebant. Quæ uia fuerat, fuit, & est ab omnibus Christi fidelibus, maxime à principibus & p̄latis ac uniuersitatibus gñalium studiorū, atq; doctoribus & prudentibus uiris diuersarū obedientiarū prædictarū, ac à maiori parte eorundē approbata: & in tā diuturnis t̄pibus nulla alia accommoda, secura, efficax & facilis ad tollendū schisma p̄sens, attentis difficultatibus in iure

al. illud sub-
mouendi